

bus posset facile blasphemare; ideo Diabolus linguam reservavit, ut intelligere posset, si Job ob cordis simplicitatem blasphemiam proferret in labiis. S. HIERON. in e. xix. *Job*.

MISCELLANEA.

QUALITAS. — Quidam Rex Angliæ, cum tres suos filios interrogasset, quid quisvis data optione maxime a Deo postularet, respondit primus, fortitudinem se petiturum, ut omnes subjugare posset. Alter pulchritudinem se postulaturum dixit, qua omnes in sui amore alliceret. Tertius, et natu minimus, collum gruis potius se optaturum dixit, ut non nisi bene discussa verba depremeret. Qui proin cæteris prudentior visus patri, regnum ab eo accepit. *Spec. Ex. dist. ix, ex. 103.*

Dicente quodam Fratre: Desidero custodire cor meum; respondit Abbas Sisoy: Et quomodo possum custodire cor nostrum, si lingua nostra januam apertam habeat? *Vita PP. l. cv.*

Socrates, ut adolescentem quemdam recte cognosceret, dixit illi: Loquere, adolescens, ut videam te. *GRAN. in Loc. Com. f. 382.*

Alexander Magnus epistolam occultas accusationes in Antipatrum continentem cum accepisset a matre, et legendam Ephæstioni dedisset, ea perfecta annulum suum ori illius impressit, dicitque: Contine hæc, et ne eorum quid effutias. Quanto magis si Christus sigillum charitatis fraternæ ori nostro impresserit, et mandatum tacendi adjecerit, parere convenit? *PLUT. ap. Fab. conc. II, in Dom. XI, post Pent.*

Non male cecinit Poeta:

Nil melius lingua, lingua nil pejus eadem,
Tristia cum dulci toxica melle gerit.

Non multis verbis opus est, inquit Seneca, sed efficacibus. Seminis modo spargenda sunt. *SENEC. ep. xxxv.*

Imago animi, sermo est. Qualis vir, talis oratio. Magnum est vocis et silentii temperamentum. *LANG. in Polyanth.*

Hesiodus Poetarum prudentissimus, linguam non vulgandam, sed recondendam esse dixit, perinde ut thesaurum, ejusque esse in promendo gratiam plurimam, si modesta, et parca, et moderata sit. *GELL. l. I, Attic. noct. e. xv.*

Alphonsus Rex loquaçulos homines utres

vocitabat, quia sicut utres infusis humoribus extenduntur, donec humorem infusum respuant; ita loquaçes infantur, donec audita garriendo effutiant. *PAN. l. IV.*

Cum olim Hebraeus Rabbi Jehuda in foro proclamasset, se habere domi aquam auream maximi pretii, quæ restituendis viribus, et producendæ vitæ plurimum conduceret, confluentibus ad ipsum undique emploribus, ipse eos domum perduxit, et apertis Bibliis illa Psalmi verba recitavit: Quis est homo, qui vult vitam, diligit dies videre bonos? Prohibe linguam tuam a malo, et labia tua ne loquantur dolum. Et hæc demum esse aquam vitæ auream dixit. *DREXEL. in Phaet. e. LVII, §. 5.*

NECESSITAS. — Fuit, qui lautissimam suppellectilem in domo aliena intuitus, aliquid adhuc deesse dixit instrumentum scilicet humanæ genti summe necessarium; quæsit, quod illud esset? Linguarium, inquit, quod lingua custodiatur; neque enim ulla pars suppellectilis tam necessaria est, ac ista. *Ibid.*

Abbas Lucius dicenti Longino se habere triplicem cogitationem. 1. Ut peregrinetur. 2. Ut sæpe jejunet. 3. Ut declinet hominum aspectus; respondit: Si non teneris linguam, quocumque perrexeris, non eris peregrinus, sed refrena hic linguam, et eris etiam hic peregrinus. *Vita PP. l. IV, n. 33.*

S. Macarius Fratri petenti sermonem, per quem salvari posset, dixit: Oportet fugere homines, in cella sedere, et pro peccatis jugiter lamentari, et, quod super omnes virtutes est, tam linguam coercere, quam ventrem. *Ibid. l. III, n. 189.*

Diogenes ad juvenem formosum turpia loquentem dixit: Non te pudet ex eburnea vagina plumbeum gladium educere? Idem multo magis dici poterit de Christianis, nisi linguam a malis sermonibus coercerent, cum hi ore suo Christum toties excipiant. *FAB. conc. III, in Dom. XI, post Pent.*

UTILITAS. — Abbas Pomen dixit: Si Moachus ventrem suum et linguam tenerit, et vacationem non fuerit seclatus, confidat, quia non moritur, sed vivit in perpetuum. *Vita PP. l. II, c. II.*

Cum Arsenius a Deo peteret cognoscere viam, per quam salvari posset, audivit vocem: Arseni, fuge, face, quiesce. Hæc sunt principia salutis. *Ibid. l. III, n. 190.*

Xenocrates, cum maledico quorundam sermoni summo cum silentio interesset,

quæsitus, cur id faceret? respondit: Quia locutum me esse pœnitet, tacuisse numquam. *LAERTIUS, ap. Lang. in Polyant.*

DAMNUM. — Theophrastus dicebat, potius effreni equo insidendum, quam verbo incomposito fidendum; eo quod plus periculi ab hoc, quam illo immineret. *Ibid.*

Suidas linguam alloquendo interrogat: Quo vadis? Cui illa respondet: Urbem ever-sura, aut instauratura. *DREXEL. in Phaet. e. LVII, §. 4.*

Pythagoras gladii plagam leviozem esse dicebat, quam linguæ; ille enim corpus, hæc animam vulnerat.

Garrulorum symbolum ostrea est, ut enim, dum hæc sese aperit, cancer lapillum in eam projicit, et sic eam capit; ita dum garrulus os impropide aperit, Diabolus lapillum peccati in os ejus projicit, et sic in interitum trahit. *HUGO. ROTM. p. II, c. xxxix, lect. 7.*

AXIOMATA.

Ex abundantia cordis os loquitur. *MATH. xxiv, 34.*

Mors et vita in manibus linguæ. *PROV. xviii, 21.*

Bis ad limam, quam ad linguam.

Qui multum fatur, stultissimus esse probatur.

Locutum fuisse multos pœnituit, neminem tacuisse.

Frons aperta, lingua parca, mens clausa, regnum tenent.

Qualis vir, talis oratio.

Quale avis rostrum talis et cantus. *SOCR.*

Non oportet multis verbis pauca dicere, sed paucis multa. *FABER, conc. II, Dom. II, post Pent.*

AUCTORES.

Jeremias Drexelius, in *Phaetonte*.

Ludovicus Granatensis, in *Locis Communibus* f. 380.

Alphonsus Rodriq. p. II, tr. II.

Joannes Bæusæ, in *Panario*. V. Colloquia otiosa.

Joseph. Langius, in *Polyanth*. V. eod. et V. Loquaçitas.

LUDUS.

QUOAD ESSENTIAM.

DEFINITIO. — In genere definitur *dictum vel factum ad animi oblectationem pertinens*; in hoc loco tamen accipitur cum Theologis et Juristis pro contractu, quo duo vel plures inter se paciscuntur, ut victori cedat, quod uterque deposuit. *BEIRLINCK, eodem verbo.*

DIVISIO. — Dividitur præcipue in *licitum*, et *illicitum*; quorum prior est, qui regulas et conditiones a Theologis requisitas observat; posterior est, qui aliquam ex dictis conditionibus scienter non observat. Secundario tamen, et accidentaliter ratione instrumentorum, quibus perficitur, ludus dividi potest in alearum, chartarum, conorum, tridicularum, et similes ludos. *Ibid.*

EX S. SCRIPTURA.

QUALITAS. — Quæ ponitis fortunæ mensam, et libatis super eam, numerabo vos in gladio. *(ISALE, LXV, 21.)* Quæ verba explicans S. Antoninus: Ponunt, inquit, mensam fortunæ, qui ludunt, exponentes se fortunæ, sive per taxillos ludendo, sive per chartas, et isti feriuntur gladio divinæ ultionis in inferno. *S. ANTON. p. II, t. I, c. xxxiii, §. 8.* Sedit populus manducare et bibere, et sur-rexerunt ludere. *EXONI, xxxii, 6.*

FUGA. — Non sedi in concilio ludentium. *JER. c. xv, 17.*

Numquam cum ludentibus miscui me; neque cum his, que in levitate ambulanti, participem me præbui. *Tob. c. iii, 17.*

EX SS. PATRIBUS ET DOCTORIBUS.

QUALITAS. — Lusor ludum facit Deum suum, eo quod illum in amore præponit ipsi Altissimo Deo; nam illud ab homine colitur, quod in amore præ cæteris honoratur. *S. BERN. t. I, s. xlii, a. 2.*

Plus honoris defert lusor tribus taxillis, quam ossibus Jesu Christi, quem in ludo sæpius vituperando blasphemavit; propterea

perea Psalmistam Dominus lamentabiliter de talibus ait : « Foderunt manus meas et pedes meos, et dinumeraverunt omnia ossa mea, » sicut et variis contumeliis afficiendo. *Ibid.* c. III.

Christiane, quicumque es, et alea ludis, hoc primo in loco credere debes, quia non Christianum, sed Ethnicum tibi nomen est. *S. Cypr. de Aleat.*

Non est quasi aliquid vitium, quod reddat homines ita infames et abominabiles sicut ludus. Nullus confidit de lusore, nec vult eum in socium alicujus artis, quia semper timet, ne furetur, ut ludat. *S. Anton. p. II, c. XXIII, f. 6.*

DAMNUM. — Vix est dare actum, in quo concurrant tot mala, quot ex ludo; quot enim in taxillis sunt puncta, tot scelera ex eo procedunt, unum gravius altero. *Idem.*

Alea tractare, non videtur multis peccatum esse manifestum, sed infinita vitæ mala solet inferre. *S. Chrys. hom. xv, ad Pop.*

Seestli homines sunt lusores; quid enim est ludus, nisi fomes iniquitatis et cupiditatis? *S. Bern. Sen. t. II, c. XVI, ar. 3, c. II.*

Quis, quæso, ingenuus, seu quis homo, et non potius trux bellua delectari queat ludi nomine, abundante nequitia, atque impietate foedissima? Ubi præter hominum vultus nihil humani sit, vultusque ipsi iracundia ac mœrore obsiti, confusisque clamoribus efferati, nec jam sint humani; ubi non decor morum, non modestia sit verborum, nec amor erga homines, non erga Deum reverentia, sed jurgia et rancores, et doli, perjuriam et rapinam, vulnera ad extremum, et homicidia quoque. *Petrarch. dial. XXVII, de Remed. Fort.*

Ludus est domestica prædatio, usuraria labe, mendaciorum atque nugarum sedula mater, fons divine negationis, crudelis blasphemie pater, corruptio populorum, scandalum proximorum, perverax inobedientia filius, amissio temporis, discordiarum et homicidiorum multorum origo, immane desperationis barathrum, idolorum cultus, iners segnitias, otii nutrimentum, diffamationis titulus. *S. Bernardinus, l. c.*

Idem facit hominem apostatam, proponendo omnem delectationem amoris divini et suæ fame, quia propter ludum efficitur infamis. *Id. tom. IV, c. XXXIII.*

Aleatores in ludis non querunt, nisi alienam pecuniam acquirere, socium fraudare

et decipere, jurare, blasphemare et maledicere, et quandoque ad verba injuriosa, plagas et verbera prorumpere, et cum totum perdunt, quandoque desperationem incurere, et finaliter ad rapinas, furta, et homicidia se convertere. Iste enim ludus est diabolicus, et certe, ut credo, per Diabolum adinventus. *Berchor. in Dict. v. Ludere.*

Si quis aleator Christianus es, tuus et hereditatis tuæ inimicus es. *S. Cypr. de Aleat.*

Taxillorum eventus nullus prosper, mali omnes et miseri; nam et qui perdidit, affligitur; et qui vincit, illicetur, inque insidias protrahitur. *Petrarch. l. c.*

Lusores propter hoc, ut habeant magis tempus ad ludendum, negligunt divina, Missas et vespas, et orationes, et prædicationes, nisi forte orent, ut Deus faciat eos vincere; sed nescit divina justitia patrocinium dare criminibus. *S. Anton. p. II, t. I, c. XXIII, §. 6.*

Prima iniquitas est, quia ludus generat cupiditatem in lusore, quia ludendo accenditur cor suum, ut reludat propterea recuperare perditam; et si lucratur, magis accenditur avaritia ad ludum, ut magis lucratur. Cum perdit homo, deberet desistere amplius ludere, at avaritia lucrandi trahit eum. *S. Bern. t. IV, p. 1, f. 37.*

Ludere, latinis auribus *perdere* significat, et amittere; perdit enim qui ludit, perdit frequenter suam, perdit non raro se, perdit semper tempus. Et lætari in ludo aliquis potest, qui in ludo semper aliquid perdit? *Novarin. ap. Mansi, d. VIII, n. 3.*

O manus crudeles, et ad periculum sui armate, que bona paterna, et opes avorum sudore quesitas, ignominioso studio dilapidant! *S. Cypr. de Aleat.*

O denarii infernales! O lucrum maledictionibus plenum! O tremenda judicia, propter tales denarios super universa illorum bona justissime preparata sicut, ego in quibusdam, docente experientia, vidisse credo, que sunt testimonia credibilia facta nimis! *S. Bern. t. I, f. 42, c. III, ar. 2.*

EXEMPLA SACRA.

QUALITAS. — Cum S. Bernardo in itinere constituto famosus quidam lusor occurisset, Sanctum pro equo, cui insidebat, ad lusum invitavit, suam et contra in lusum of-

ferens animam; plenissimo igitur consensu propositum acceptavit Sanctus, pacto præmisso, ut, quisquis plura faceret puncta, victor remaneret. Totus hilaris itaque lusor ille taxillis jecit, et in punctorum numero prevaluit, dum maximum taxillorum asscultus est numerum, moxque equum veluti suum poposcit; ad quem Dei servus: Sustine, fili, donec et ego jecerim, siquidem plura puncta taxilli habent. Jecit itaque Sanctus, duoque tali duodecim expressere puncta, tertius vero miraculose ruptus in duas partes apparuit; in quarum una sex erant puncta, que octodecim conficiebant, in alia vero parte divisa aliud se probebat punctum, quapropter attonitus, miraculoque compunctus lusor non perdidit, sed suam lucratus est animam; siquidem se Sancti viri disciplinæ subdens monachum induit, et exinde virtuosam, perfectamque duxit vitam. *Mansi, d. IX, n. 5.*

Cardinalis Baronius, in conscribendis præclarioribus Annalium Ecclesiasticorum eventibus ad perpetuam memoriam et utilitatem posterorum silendum esse non censuit, quod olim B. Petrus Damianus inter, et Episcopum Florentinum accidit; verba autem Annalium in compendium redacta, sunt hæc sequentia: Fui aliquando comes itineris V. Episcopi Florentini, cumque vesperi ad hospitium pervenissemus, ego in cellam Presbyteri me subdixi, ille vero in ampla domo inter viatorum turbam subsistit. Diavolo autem facto a muliere meo certior factus sum, Episcopum prædictum latruculorum ludo se cum aliis immiscuisse. Quod verbum sagittæ instar cor meum transfigens, ad iracundiam me commovit, ac proinde tempus admonitioni opportunum nactus, illum conveniens, acriter ipsum reprehendi, discursum meum hunc in modum exordiendo. Etenim virgas proferens manus levavi, quasi verberare volens, dummodo esset, qui tergum submitteret; ille vero subjunxit: Si culpam ostenderis, penitentiam non reusabo. Tunc ego: Ergone tibi benefactum, tuoque officio congruum esse videtur, subjunxi, quod heri vesperi latrunculis luseris, manumque tuam Corpori Salvatoris offerendo assuetam, et linguam, que Deum inter, et populum mediatrix existit, sacrilegi ludi contaminatione deturpaveris? Tunc ille, ut erat mansueti animo, et perspicaci ingenio, rationibus a me allatis humiliter acquievit, simulque

se similem defectum deinceps nunquam commissurum promittens, debitam a me postulavit penitentiam, cui subito ut trines integrum recitaret Psalterium devotè illud meditando, atque insuper duodecim pauperum pedes lavaret, præcepit, totidem illis monetis erogando, liberalique prandio eosdem recreando. Nimrum sicut culpa manibus et verbis commissa fuerat; itaque ille pauperum lavando pedes, manus suas a culpæ contagione lavavit, eosque ore suo osculando, quas ore contraxerat culpas, expiavit renovavitque pacem cum Deo, quem detestabili ludo offenderat. Verum enim vero, ex quo in sententia Sancti Iuliani Doctoris, qui Theologie Angelus et oraculum Ecclesiæ merito appellatur, ludum pro honesta recreatione licere diximus, cur B. Petrus Damianus hunc Episcopum tanta cum asperitate non solum reprehendit, sed et gravi penitentia muletavit? Et quidem tanto id magis mirandum venit, quod idem Episcopus se coram S. Damiano quoad qualitatem huius purgaverit; nam defensionis sibi facti sentiam, ait, aliud schachum esse, aliud aleam; aleas auctoritas prohibuit, schachos vero tacendo concessit. Ad hoc igitur responderi potest, credibile esse Episcopum hunc in ludo illo excessisse, vel ratione nimis diuturnæ continuationis, vel quia in multorum secularium societate, cum scandalo aliquo luserit. *Baronius, cvi, l, n. 48.*

De S. Joanne Evangelista scribitur, quod, cum de eo certus quidam vir scandalizaret, eo quod ipsum cum discipulis suis jocantem et ludentem vidisset, ipse ut se defenderet, cuidam, ut arcum intenderet, præcepit, quod cum sapius fecisset, interrogavit eum: An hoc semper sine intermissione facere posses? Qui respondit: Si hoc continuo facerem, arcus frangeretur. Subintulit S. Joannes, quod similiter animus hominis frangeretur, si nunquam a sua intentione relaxaretur. *Mansi, d. IX, n. 1.*

Thomas Cantipratanensis se a quodam Patre Dominicano, fide dignissimo, audivisse scribit, quod quidam in lusu taxillorum omnibus quæ habebat, ad camisiam usque perdidit, imposita in arcum sagittam, eandem ad vulnerandam Christi Crucifixi imaginem evibravit; mox vero sagitta reversa ante faciem jacentis sanguine recenti totaliter infecta reperta est, qui mox in maximas lacrymas resolutus, Fratrem, qui mihi hæc narravit, ad duo miliaria questum

invenit, et confessus, vitam suam cum mira penitentia correxit. THOMAS CANTIP. l. II, c. XLIX, §. 41.

DAMNUM. — In celebri quadam Lombardie civitate accidit, postquam certus quidam paterfamilias ingentia a filio suo perpressus fuisset damna, eo quod, ut sufficiens ad ludendum pecunia ei suppeteret, quidquid in domo patris obvium habebat, furaretur, ut venderet; tandem post sæpius adhibitam correctionum suavitatem, nec non reprehensionum austeritatem, eundem filium ab hoc vitio retrahere, et in viam virtutis perducere studuit, quamvis incasum. Tandem eum in carcerem conjici fecit, e quo tamen paulo post per frequentes cogitationum instantias ereptus, habitationem quandam paternæ domui vicinam condixit, quam publicam lusum officinam effecit. Demum vero cum nocte quadam immane patrasset homicidium, cadaver occisi hominis ante fores patris sui transtulit, seclusque tamquam ab aliis commissum, justitiæ publicæ denunciavit; moxque pater una cum filio minore in vincula conjectus, dum tormentorum violentia utriusque adhiberetur, dolorem ferre non valentes, delictum licet minime ab illis factum, confessi sunt, indeque ad patibulum ambo condemnati fuerunt. Cujus tamen sententiæ executio ob carnificis absentiam aliquandiu dilata fuit, donec tandem pater, ut se a mortis supplicio eximeret, ad obeundum circa filium carnificis officium fuit requisitus, qui ne filium neci traderet, naturali patris affectu munus hoc exequi recusavit, sicut et alius filius minor, mori ipse innocens cum innocente patre maluit quam ejusdem a se patrando suspensio, vitam suam redimere. At vero discipulus ille et degener filius (qui sceleris auctor et homicida occultus fuerat) oblatum sibi idem munus acceptavit, patremque simul et fratrem infami supplicio affecit. Qui tandem rei totius veritatem cuidam amico suo confidenter aperuit, ut illum ad patrem a patibulo post mortem depositum, ad sepulturam raptandum induceret, qui ob rei indignitatem stomachatus, facti seriem superioribus indicavit, a quibus cum detestabilis hic homicida, fratricida, patricida examinantibus reus inventus fuisset, pariter et ipse infami patibuli supplicio delictum luere debuit. MANST. d. v. n. 3.

Quidam litteris Parmæ operam navans, de seipso retulit, qualiter bonam pecunie

summam ex lusu lucratus, die quadam largam instituerit elemosynam eo animo, ut divinam pro continuanda bona in ludo fortuna imploraret et consequeretur assistentiam. Ab eo autem die semper perdidit, nulla posthac ei favente fortuna, cuius rei quam aliam, nisi illam S. Antonini assignare poterimus rationem: Nescit divina Justitia patrocinium dare criminibus. Id. d. VII, n. 6.

S. Bernardinus suo tempore sibi de infelici quodam homine narratum fuisse scribit, quod animam suam ex desperatione lusus Dæmoni ultro consignavit; cum vero ad vigiliis noctis peragendas missus fuisset, dæmon ipsi muros civitatis per scalæ gradus ascendenti in specie gryphi apparuit, ipsumque ex posteriori parte chlamydis ad se attraxit, in ejusque signum eandem transferavit; qui quidem in angustiis positus Deo se recommendavit, et de peccatis suis compunctus, eandem per confessionem expiare cepit, at vero tantus illum terror invaserat, ut duobus abinde diebus mortuus fuerit. S. BEAN. t. I, s. XLII, a. 2, c. II.

P. Ottonelli sequentem casum, quem anno 1612, accidisse, a persona quadam fide digna relatam acceperat, hunc in modum recenset. Quidam postquam diu infelice lususisset, tandem furore et ira percitus a collusoribus discessit, quemdam chartarum lusoriarum secum deferens manipulum, quas in via sigillatim in minutas partes dilaceravit, impudenter dicens: Utinam te, o Deus, eundem in modum dilacerare possem! Adjunxit, insuper: Hodie quidem in ecclesia Missam auscultavi, sed merito huic omnino abrenuntio, nec volo, ut quidquam me juvet. Aliaque plura ejusmodi verba impietate plena eructavit. Contigit autem, quod dum in via ex colloquio descenderet, fallente pede, concidens collum sibi fregerit, ita tamen ut non tam subito inde moreretur. Nimirum Deus ipsi tempus respiciens, et actus penitentis in se excitandi, indulgere voluit, qua tamen Dei indulgentia nequaquam usus est impius, siquidem verissimum est illud: Impius cum in profundum peccatorum venerit, contemnit; dum enim hoc modo desperatus jaceret, oculis furibundis et iracundis, velut alter quidam Julianus Apostata, cœlum respiciens, digitos sibi præmordit, simulque Deo et Sanctis etiamnum comminari non destitit, et sic infelicem animam expiravit. MANST. d. v. n. 10.

Idem quoque auctor de alio quodam lusore refert, qui ludendo quidem Deum et Sanctos per blasphemias non offenderat, sed prospere semper ludendo, ingentem sibi pecuniam quantitate comparaverat. Verumtamen dum domum se recipere vellet, nonnulli, qui cum hac pecunia summam secum deportare sciebant, illius aviditate instigati, illum aggredientes vulnerarunt et occiderunt, ipsumque omnibus, quæ secum habebat, exuentes, nudum deseruerunt, adcoque miser ille pecuniam simul et vitam, imo forsitan et animam infelice amisit. Ecce tibi jacturam irreparabilem, quam, miser, etiam in ludo vincens, perpressus fuit. Similem quoque eventum idem auctor de alio quodam lusore scribit, quod, cum ingentem pecuniam summam ludendo fecisset, ludum deserere voluerit, ne ulterius ludendo fortunam experiretur contrariam, amitteretque, quæ hætenus feliciter ludendo congregarat; collusor autem imperiose illi ut ludum prosegueretur præcepit; volebat enim, ut, qui hætenus victus remanserat, tandem in ludo victor evaderet, et recuperaret, quæ amiserat. Cumque ludum ille liberum esse, responderet, sibi que proinde jus esse, ut ab eodem, quandocumque vellet, desistere posset, collusor ex amico inimicus factus, apprehensum pugione in pectus ejus impegit, adeo atrociter, ut subito corruens mortuus fuerit. Ibid.

Idem pariter auctor alium quemdam refert casum, qui Romæ in parte quadam Capitolii verissime accidit. Cum tres sodales ludendo se exerecent, permisit Deus, ut dæmon eos per horribiles apparitiones perterrefaceret, ex cuius spectri aspectu, omnes tres tanto fuerunt horrore perculti, ut uni illorum omnes deluxerint capilli, alter vero misera morte vitam suam clauserit, tertius denique a fenestram accurrens, inde se deorsum per ruinosum et mortale præcipitium proturbarit. Ibid.

Anno 583, Moguntia atrox crimen contigit, per certum quemdam perditæ salutis hominem, cui nomen Scellzoff erat, qui vilissimus ortus natalibus vitam suam in tabernis inter taxillorum et chartarum lusus transigebat; fuit enim appetentissimus ludi, ex quo pleraque vitiorum genera, tamquam vermes ex putri cadavere ubertim erumpunt; præcipue vero impietas erga Deum inde nascitur. Impius hic vir cum infelice ludendo omnium, quæ habebat, jacturam fecisset,

cepit graviter stomachari, et post convitia collasoribus dicta, Deum etiam, et Sanctos blasphemare. Sunt, qui referunt, eum hac ira et impietate succensus, palam fuisse minitatum, quæcumque Crucifixi Jesu imaginem primum obvium habuisset, ab ea se presentis damni penas et vindictam repetiturum. Quamprimum ad sacellum pervenit, imaginem Crucifixi dissecuit, ita ut nec ullatenus hæeret quidem. Mox D. Virginis, aliorumque Sanctorum signis cruci astantibus casim et punctim pleraque vulnera infixit. Sed terrificus et admirabilis eruo, subito ex vulneribus a crudelissimo illo scario passim illatis effluxit, eum non lignea simulacra, sed vivi homines eum injuriam perpressi forent. Crederes, Deum ipsum tanto scelere appetitum, quodammodo indoluisset, et tam stupendo miraculo, velut manifesta doloris confessione mortales ad vindictam faciendam animasse. Porro impius hic scarius portio copiosi sanguinis ex vulneribus emanantis attonitus factus, toto corpore obrigit, adeo ut loco se movere non possent, unde in fragranti crimine deprehensus, Moguntiam ad carceres perductus, vivusque ibidem ignibus consumptus est. Ibid. n. 3.

Cæsarius Heisterbacensis terribilem quandam narrat historiam, quæ in civitate quadam diocesis Coloniensis circa militem quemdam Tiemum contigit, qui ludo taxillorum adeo deditus erat, ut ludendo diem simul cum nocte conjungeret. Hic saccum quemdam pecuniam plenum secum portare solitus erat, ut unumquemque obvium ad ludendum incitaret, adeoque fortunatus erat, ut vinceret semper, numquam perderet; ut autem posteris ostenderetur, quantum Deo tales ludi (in quibus iræ, invillia, rixæ, et damna suscitantur, peccatque verba rotantur) contrarii forent, permixtum est Diabolo, ut cum eo luderet, qui multis illuserat, atque eviceraverat. Nocte igitur quadam Spiritus malignus sub personato habitu, in domum ejus ingressus est, qui sacellum pecuniam plenum sub brachio deferens, lusorem hunc ad colludendum invitavit, mensæque accubens, extracta pecunia alearum jactum per totam noctem cum ingenti suo lucro in societate solemnissimæ hujus lusoris continuavit. Miles autem malam suam expertus fortunam, amissamque ludum pecuniam dolens indignabundus ait: Numquid non Diabolus es tu? Et ille: Nunc satis est,

appropinquat enim tempus matutinale, oportet nos ire. Tollensque illum per tectum traxit, cuius viscera tegulis retrahentibus miserabiliter excussit; et quid de ejus corpore factum sit, vel in quem locum illud projecit, usque hodie tam a filio ejus, quam a cæteris, qui illum noverant, ignoratur. Tandem vero Cæsarius his verbis concludit: Bene Diabolus in hoc mundo suos ministros sinit prosperari, quos semper in fine decipit. CÆSARIUS, l. V.

S. Cyrillus, Episcopus Jerosolymitanus, aliud quoddam factum priori parum dissimile refert, quod idem pariter a S. Augustino describitur. Nam miles quidam civitatis illius, dives admodum et nobilis filium, quem habebat male agentem non solum non reprehendebat, verum potius malo illi præluens exemplo, variis in vitiis, præcipue vero in lusu edocebat. Hinc cum ad duodecimum ætatis annum pervenisset, die quadam cum patre suo chartis ludens, omniaque perdens, in hanc contra S. Hieron. prorupit blasphemiam: Faciat S. Hieron., quod libet, ego hinc non recedam, donec ludendo violer evaserim. Quibus verbis vix etiamnum pronuntiatis, nonnulli comparere Dæmones, qui raptum filium in presentia patris sustulerunt per aera. Ubi vero deinceps manserit, in hodiecum usque diem ignoratur. SYLVA, *Hist.* l. VII, tit. VI, ex. 6.

Supra nominatus Cæsarius deplorabilem refert casum, qui Sacerdoti cuidam accidit, cui nomen Adolphus, qui plebanus existens curæ animarum obnoxius erat. Ad hunc enim die quadam cum cognato suo chartis ludentem, alius quidam accessit, qui matrem ejus infirmam instanter Confessionem, et Communionem postulare, lacrymosis verbis exposuit. Respondente Sacerdote: Non veniam, nisi expleto ludo, cum ille instaret, asserens infirmam expectare non posse, commotus Sacerdos secum ludenti dixit: Cognate, ego conqueror vobis de homine isto, qui me quiescere non sinit. Videns ille se nihil proficere, tristis ac gemens discessit, et infirma sine confessione atque Viatico ab hac luce migravit. Die autem tertio, is qui cum Sacerdote luserat, defunctæ filio occurrit, et Sacerdotis querimonie recordatus illum sine causa occidit. Posthæc Sacerdos in peremptorium incidit infirmitate, qui cum esset in desperatione, quedam cognata sua sedens coram illo, cum signum contritionis in eo nullum videret, tristis sic

ait: Domine, debilis estis valde. Præparate vos propter Deum, invocate illum, ut peccata vestra vobis dimittat. At vero in miserabili hoc Sacerdote impletum est, quod S. Antoninus in hæc verba scribit: Sicut in sors reperit se in via Diaboli esse, quæ est circuitus, ita et in termino cum eodem sunt, scilicet in inferno. Audiamus enim ex eodem Cæsario horrendum lusoris illius exitum. Desperatus respondit: Vides horreum illud magnum ex opposito nostri? Non sunt in ejus tecto tot calami, quot sunt circa me Dæmones congregati. Et hoc dicto mox agonizans exspiravit, eos videns adesse morituros, quorum consilio vixerat sanus. CÆSAR, l. V, c. VIII.

S. Franciscæ Romanæ in visione quadam demonstratum fuit, Dæmones specialiter eo tendere, ut perversas lusorum animas in inferno cruciare possint. Si quidem sancta hæc matrona vidit nonnullas ossium ad lussos pertinentium partes, illasque super carbones ardentis volvi et revolvi, easdemque super ignitas ferreas tabulas elvari; insuper taxillos ferreos ardentis, nec non aurum et argentum liquefactum, pro quo luserant, faucibus eorum ad potandum infundi, denique eosdem virgis castigare acerbissimis, in quarum extremitatibus globi ferrei igniti suspensi erant; qui ex illis alios fraudulenter deceperant, suspendebantur; qui vero traditores fuerant, in quatuor partes dilaniari videbantur. MANSI, d. II, n. 6.

Sylvanus Razius, Monachus Camaldulensis, in libro, quem de miraculis Matris Dei composuit, sequentem de quodam, in Saxonia commorante, sacrilego, refert historiam, qui postquam ingentem pecuniæ summam infeliciter ludendo amisisset, membra Christi adeo horrendè blasphemare cepit, ut circumstantes obturatis auribus præ nimio pavore pectus in signum doloris percutientes, in fugam se receperint. Impius vero ab invisibili quodam ietu percussus, in terram cecidit, et clamando: Eheu! quis me percussit? misere extinctus fuit. Cum vero vestibus exueretur, inventum est vulnus quoddam, quasi a bicipiti gladio adeo horrendè inflatum, ut omnia ejus interiora inde videri potuerint. SYLVAN. RAZ. de Mirabil. B. V.

Auctor *Theatri vite humanæ* de quodam lusore Budano refert, quod, cum in nomine Dei ludens, omnia, quæ habuerat, perdidisset; illius vero collusor in nomine Diaboli ludum agens, constanter lucratus fuisset,

ipse ira et furore percitus, per cometerium se propiciens, Crucifixi frontem saxo petiit, quod in vulnere laesit. Accidit vero, quod latio quidam eidem loco vicinius, tametsi podagra laborans, dum dormiret, tribus vicibus repetitum a coelo præceptum audierit, quo e lecto jubebatur surgere, et primum sibi obvium confestim necare, quare expedite surrexit, et in ferventem aleatorem incidens, cultro lanario eum interfecit. BEIRLINCK, in *Theatr. V. Alea.*

In Brabantia partibus urbe Lovanio, civis quidam generosus et bonus in nocte Sancta Parasceves ad matutinas surgens, transibat ante cellarium in platea, in quo perditissimi adolescentes ad ludum tesserarum sedentes, blasphemis et juramentis invicem contendebant. Transiens autem civis invenit homines plateæ ante cellarium, qui magno murmure plangebant hominem quemdam ignotum miserabiliter plagatum et sanguine cruentatum. Qui cum quæreret auctorem læsionis tantæ quis esset, responderunt: Isti, inquit, juvenes qui hic in cellario ad tesseras ludunt. Mox igitur ingressus civis inproperat ludentibus tali nocte, et eos duris verbis interrogat, cur hominem ignotum, ingressum ad eos, tam crudeliter verberassent? Attoniti autem juvenes negant, nullum vero ab eis vel verbo vel verberare læsissimum. Et mox cum cive surgentes, omnes quærunt hominem cruentatum, nec inveniunt. Conversi itaque singuli ad seipsos, animadvertunt juramentis suis terribilibus in ludo prolatis rursus Christum Dominum contumeliis affectum, rursus impropriis cruciatum. THOM. CANTIPR. l. II *Apom.* c. XLIX, p. 10.

Cum in quadam villa Campaniæ Judæus cum Christiano in Sacra nocte Parasceves in tesserarum ludo conedens multam pecuniæ perderet, et hoc impatientius turbaret, tandem in Christum retorquens, injuriam blasphemavit. Et mox cum ad jactandum tesseras collegisset, manus ejus cum tessera fit contracta. Qui reprobo furore succensus, cum ipsa contracta manu mensam lusoriam percutere niteretur, iterato in Christum et Matrem ejus blasphemiam turpissimam evomens, statim eversis terribiliter oculis cecidit, et exspiravit. Christianus vero collusor illius pavore nimio in mentem versus, elanguit et miseram vitam morte misera finivit. Ibid.

In Provincia Lusitanie miles cum tem-

plum peteret, ut de more sacris adesset, a comitibus advocatur ad ludum. Hic cum pecunias amitteret, sibi suisque provocatoribus mala omnia precatur, nec tamen ab alea, spe recuperandi quod perdidit, avelli poterat; sed cum ea iterum male eederet, infernis sese devovet furis, et Dæmones, ut se rapiant infelicem, desperatis clamoribus invocat: An auditis? inquit. An temere verba jacto, et prestigiis deceptus manibus Dæmones revera non esse credo? Mira res! Subito dejectus in terram lingue et aurium usu privatur; cumque dies aliquot jacuisset ut mortuus, ad valetudinarium perductus, instar furiosi canis in eos, qui se viserent, irrabat, mutaque erat lingua maledica, et imis demersa faucibus agitari suo arbitratu nutuque non poterat. Adit hominem unus e nostris, nutibusque ut divinam misericordiam ad memoriam redigat, cohortatur. Paruit monitis ager, et divina implorata elementa, melior est factus. Mox confirmatis utcumque viribus, urbis templa cum lacrymis circuire cœpit, et veniam pacemque a Deo precari. Nostri hominem sic instituant non tam oratione quam scripto, quoniam nondum vis audiendi redierat, ut ad commens omnium per fugium cœli terræque Reginam preces frequenter adhibeat, ita fore, ut a Deo, quidquid posceret impetraret, nec inane consilium fuit. Sabbato enim, quem Ecclesia diem colendæ Dei Matri veteri instituto dicavit, ad ejus prostratus effigiem longas preces lacrymasque fundens, repentina et inusitata voluptate perfusus, percipere sibi ab ea munus aliquod videbatur. Inde in aliud Dei Matris sacellum immigrat, et lychni pensilis oleo fauces linit; tum ad preces recurrit ardens, et in ipso precatiois æstu vox redit. Hic versus in Dei Beique Matris laudes, beneficium acceptum præberet, remisso militiæ nuntio, B. Virginis se dicavit, cuius etiam ædis ministerio in perpetuum se addixit, tanto futurus contra Dæmones, quibus se tradiderat tutior, quanto est ejus, quo se transtulit, tutela major. *Ex. litteris* an. 1585 in *Prov. Lusit. in Coll. Ang.*

EXEMPLA PROFANA.

QUALITAS. — De Caio Caligula Imperatore scribitur, quod, cum per omnem Galliam divites expilasset omni pecunia, eam-

dem que turpiter profudisset, alea luder eoperit. Verum cum pecuniam sibi deesse intelligeret, ob eamque causam Gallos censerit, ac eorum locupletissimos interfici jussisset, ad collusores suos reversus ait: Vos quidem de parvo drachmarum numero contenditis, ego collegi aureorum sexagies centena millia. Idem, l. c.

Cum Lucifer per varias mundi partes, multas Spirituum suorum legiones transmisisset, ut ubique maledictionum tentationumque seminaret zizania, accidit, quod circa tempus Natalitiorum Salvatoris nostri, se magnopere cruciari lamentarentur, utpote quo atrociores paterentur pœnas, quam totius anni reliquo tempore, quapropter in unum convenientes, expediturunt solemnem ad Luciferum principem suum legationem, in qua legati fuerunt Azardus et Sbarainus; qui ad Luciferum venientes, se in nocte Natalis Domini et festis subsequentibus plus quam aliis diebus cruciari, querula voce exposuerunt. Lucifer autem causas hujus tormenti ab iis ediscere volens, sequens ab iis retulit responsum: Illa nocte, dicebant, fideles omnes magna cum devotione frequentant Ecclesiam, omnes Sacerdotes tres celebrant Missas, Confessiones et Communiones insolito majori numero frequentantur, et successive diebus sequentibus veræ poenitentiae actibus sunt dediti; unde graviter ab iis vapulantes, prævalere nec quidquam possumus. Mox Lucifer, quinam Sacerdotes Christiani, et quosnam ritus observarent, interrogavit; cui illi responderunt: Distinctas in Episcopatus habent provincias, cui unus præsidens, Episcopus appellatur, subditos habens Archipresbyteros, Presbyteros, Diaconos et Clericos; Sæculares autem divisi per Parochias, a Parochis gubernantur; qui Ecclesis præfecti, in sacro apparatu Missas celebrant, et panem in Corpus Christi transsubstantiant, etc. Recensitis vero malis, ex Christianorum pietate et devotione, specialiter in diebus illis Natalitii, in eis resultantibus, respondit Lucifer: Facilis mihi videtur modus, quem si fideliter observaveritis, omnia, quæ in iis diebus fiunt, bona vos torquentia, inutilia efficiuntur. Volo igitur, quod illud, quod fit pro Christo, fiat pro meo nomine; faciatis, quod in omni civitate ædificetur unus Episcopatus in meo nomine, et vocetur Barataria, Episcopum volo esse dominatorem illius civitatis, quæ eloceit ipsam

eBaratariam. Varia igitur, pro ludis triduculariis instituendis, distribuit ministeria et officia, legatosque remittens, præcepit eis, ut Spiritibus infernalibus a quibus missi fuerant, nomine suo dicerent: Quilibet reperiat diversos ludos, ut diversimode possit nobis sacrificari, et deberi sacrificium Christi. Unde, inquit S. Bernardinus, mota est a Lucifero hæc machina, ut specialiter in nocte Natalis Domini varii inventi fuerint lusus, ut sacrificaretur Diabolo; asserit insuper idem Bernardinus, quod ludus sbaraini reperiens fuerit per Diabolum, qui dicitur Sbarainus; lusus alearum fuerit reperiens per Azardum Dæmonem; minoretus reperiens fuerit per Minoretum Dæmonem, et sic de aliis. Unde quicumque ludit istis ludis prohibitis, celebrat Diabolo. S. BERN. tom. IV, ser. XXXIII, p. 1.

Ferunt Hannorum populos omnibus bellum inferre nationibus, feneratoribus tamen esse subjectos; et, cum sine legibus vivant, aleæ solius legibus obedire, in prociectu ludere, tesseras simul et arma portare, et plures suis, quam hostilibus ictibus interire. In victoria sua captivos fieri, et spolia suorum perpeti, quæ pati ab hoste non noverint. Ideo nunquam belli studia deponere, quod victi aleæ ludo, cum totius prædæ munus amiserint, ludendi subsidia requirunt bellandi periculo; frequenter autem tanto ardore rapi, ut cum ea (quæ sola magis aestimant) victus arma tradiderit, ad unum aleæ jactum vitam suam potestati vel victoris, vel feneratoris addicant. S. AMBR. l. I, in Tob. c. XVIII.

Plato juvenem aliquando propter lusum acriter reprehendisse legitur; sed moniti impatiens puer replicavit: Sic objurgas ob rem parvam? Cui mox Philosophus: Parvum non est assuescere. BEIL, l. t. c.

Inventus est, qui, quasi parum fuerit in vita lusisse, testamento religiose caverit, ut ex ossibus suis tesseræ fierent, cute vero et membranis mensa, alveolus, frillique, quanta fieri posset diligentia contegerentur; nimirum ut quod vivus libentissime faciebat, mortuus etiam, quantum posset, obiret. Ibid.

Aristoteles in sua *Ethica* ludum taxillorum atque chartarum, tanquam deformem contemnit, et inhonestum, lusores, fures appellat, lucrumque inde comparatum hominem indignum esse affirmat. ARIST. l. IV. *Eth.* c. 1.

Agarenos seu Turcos, quocumque genere ludi, deposita pecunia instituti ludant, ignominia primam, deinde supplicio graviore affici, nonnulli testantur. MANSI, disc. I, n. 6.

DAMNUM. — Sicut aranea se eviscerat ad faciendas telas, quibus capiat muscas; sic lusor consumit se ad excoigandas malitias, et operandum, quomodo possit alios decipere, et sibi acquirere. S. ANTON. l. c, § 7.

SIMILITUDINES.

QUALITAS. — Sicut Deus invenit viginti et unam litteras primo, nam aliae postea sunt superaddite ad componendam Bibliam, ubi est omnis sapientia revelata; ita invenit Diabolus, taxillos, Bibliam suam, ubi posuit viginti et unum puncta, tanquam litteras suas nigras, ubi in usu ejus reperitur omnis malitia peccati. Quid est enim malum, quod inde non sequatur. S. ANTON. p. II, tom. I, a. 1, c. VII, § 6.

Sicut corpus, cum limitatum habeat vigorem, continuo laborare non potest, sed nonnunquam aliqua indiget quiete; ita quoque anima et mens nostra in continua operatione diu durare nequit, nisi recreatione sublevetur. Quies enim animæ est delectatio, et ideo remedium contra fatigationem animalem adhibetur per aliquam delectationem, intermissa intentione ad insistendum studio rationis. S. TH. II, c. LXVIII, n. 2.

Sicut enim medicina, ut salutem corpori afferat, in certa mensura et cum discretionem exhibenda est, quia secus usurpata mortem adferret; ita quoque ludus regulari debet secundum exigentiam et necessitatem personæ sublevanda, quia si aliter fieret, in excessum prorumperet et vitium. MANSI, disc. IX, n. 2.

Sicut vinum forte et generosum modice potatum confortat et corroborat stomachum, viresque lætificat, et vivaces efficit; sine mensura autem sumptum, caput turbat, inebriat, sanitati officit, usum quoque rationis obscurat, et impedit; ita etiam ludus pro recreatione, laboribus præcedentibus debita, brevi quoque tempore et cum modestia exercitus, conveniens est, laudabilis, et omnis culpæ expers; si vero excessum in illo, in vitium degenerat. Unde S. Ambr. recte monet: Caveamus, ne, dum relaxare animum volumus, solvamus omnem harmoniam, quasi concentum quemdam honorum operum. S. AMBR. l. I, de Offic.

MOTIVA.

Ad Ludum moderandum.

Quia Christianum valde dedecet; ut S. Cyprianus indicavit, dicens: Aleator, quicumque es, Christianum te dicis, quod non es, eo quod sæculi particeps es, nec amicus Christi potes esse, qui cum inimico Christi tenes amicitiam. S. CYPR. de Aleat.

Quia Diaboli inventum est; uti idem Sanctus indicavit dicens: Hostis ille antiquus circuit pulsans Dei servos, et non uno genere tentans; multæ enim sunt tentationes ejus, ex quibus est aleæ tabula, quæ est Diaboli laqueus manifestus, venenum portans lethale serpentis. Idem.

Quia perquam noxius est. 1. Republicæ, utpote latrociniorum et rapinarum origo. Unde non immerito S. Antoninus ita scribit: Qui sunt dediti ludo, cum non habeant ad ludendum, furantur, vel a parentibus occulte rapiendo, et furtum est, vel a vicinis, vel a magistris, si in exercitiis sunt artium mechanicarum; si vincunt, augent furtum; unde et furata tenentur restituere. (S. ANTON. l. c, § 6.) 2. Famæ, uti recte advertit Abulensis, dicens: Vita turpis inde nascitur, quia qui assuescunt ad ludum, omnem honestatem perdunt, unde efficiuntur viles. Et sic, extr. de Exces. Præf. c. Inter dilectos, vocatur vilis persona, ille qui est aleator publicus. (ABULENS. q. LV, in c. 6. *Math.*) Unde Petrarca: Abjicienda est, inquit, delectatio inhonesta (Ludi) etsi non virtutis, at saltem famæ studio, et pudoris causa; nam vix aliud in actibus hominum invenias, ubi tam clare mores ac vitia detegantur. (PETRARCA. dial. XXVII) 3. Vitæ, uti idem Abulensis indicat his verbis. Decimum (damnum) est mortis causa; quia ludentes irascuntur, dum perdunt, et prorumpunt in verba injuriosa, et de verbis ad vulnera et homicidia. (ABULENS. q. LXVI.) 4. Temporis, nam, eodem testante, ex ludo nascitur perditio temporis, quia non vacatur bonis ope-

ribus, et sic perduntur omnia illa, quæ post interim facere, et tamen nullum est minus damnum quam temporis; quia damna rerum sunt recuperabilia, damnum autem temporis nequaquam maxime, quia Deus exactissimam rationem petet a nobis de tempore concessio ad vitam, et bene operandum, in quo fuerit expensum. Unde S. Antoninus merito exclamat: O quam male poterunt reddere rationem de tempore, qui totos dies, et aliquando etiam noctem adjungunt circa ludum, et non solum amittunt ipsi ludentes tempus, sed alios amittere faciunt, qui scilicet aspiciunt. S. ANTON. p. II, T. I, c. XLIII, § 6.

Quia aliorum infectivus est; uti idem Sanctus indicavit, dicens: Hoc vitium videtur infectivum, cum enim quis videt alium ludere, ubi nihil cogitabat de ludo, inclinatur ad simile. Quod etiam Abulensis confirmans; Corruptantur, inquit, proximi multipliciter videntes istos ludos, cum erudiantur ex hoc ad malum. Ib. ABUL. q. LV, cit.

Quia consuetudo ludendi difficulter relinquatur; nam, teste Aristotele, generatus habitus, adhuc ex iteratis actibus dilatatur, et firmatur magis, et dilatatus habitus in ejus actibus magis ac magis delectat, et delectatio perficit opus. Sic lusor frequentanter ludos ita delectatur in eo, ut totam quasi suam felicitatem videatur ibi ponere. Et quia consuetudo est altera natura, sicut natura illam Can. Episc. Ergo, etc. Quod credo verum, quando ex cupiditate quis ludit, scilicet principaliter motus, non ad recreationem, sed ad acquirendum quid notabile per ludum. S. ANTON. l. cit.

*Nosse debet, ludum quoque in Scripturis nonnunquam cum ludo conjunctum esse. Unde dicitur: « Egre dietur de eis laus, voxque ludentium; » (JER. XXX, 19) quia ludus, debitis vestitus circumstantiis, virtus est laudabilis, que a sacris Doctoribus *Eutrapelia* appellatur, de quo S. Thomas sequentem statuit conclusionem inquit: Circa ludos et jocos, qui nonnunquam ad animi solamen necessarii sunt, si secundum rationem fiant, aliquam virtutem esse oportet, quam *Eutrapeliam* vocant. S. THOM. l. cit.*

Nosse debet, quid Doctores de vitioso ludo sentiant. S. Cyprianus aleam vocat mali alveum. S. Bernardinus, multarum stultitiarum ludibrium singulare, fomitem iniquitatis et cupiditatis, Presbyterum Diaboli comitatus, cunctorum vitiorum seminarium. Petrarcha vitiorum omnium regnum,

poralia proxima bona cum ipsis damno desideret, et idco hoc ipsum in ultimo Decalogi præcepto expresse prohibetur. Est quoque contra legem *Naturalem*, quia lusor facit alteri, quod sibi fieri nolle, spoliando collusorem bonis suis, et sæpe etiam illis, que ei ad propriam et familie sue sustentationem sunt necessaria. Est denique contra legem *Positivam*, quia multæ leges civiles et canonicæ, in Reipublicæ commodum, lusus alearum et chartarum severe interdiciunt. MANSI, d. VII, n. 4.

ASCETICA.

In primis nosse debet Asceta, quando licitus sit moderatus lusus; id quod ex S. Thoma discere poterit, sic loquente: Attendendum est, sicut in omnibus humanis actibus, ut congruat personæ, tempori et loco, et secundum alias circumstantias ordinetur debitas, ut scilicet sit tempore, et homine dignus. S. THOM. II, II, q. LXVIII, art. 2.

Nosse debet, quando ludus sit peccatum grave; qua in re sic loquitur S. Anton. Nota secundo, quod ludus aleæ est peccatum mortale, secundum Raymundum, quod probari potest ex pona; nullus enim debet deponi vel excommunicari, nisi pro mortali vero, vel præsumpto; sed ludens ad aleas debet deponi vel excommunicari, secundum illum Can. Episc. Ergo, etc. Quod credo verum, quando ex cupiditate quis ludit, scilicet principaliter motus, non ad recreationem, sed ad acquirendum quid notabile per ludum. S. ANTON. l. cit.

*Nosse debet, ludum quoque in Scripturis nonnunquam cum ludo conjunctum esse. Unde dicitur: « Egre dietur de eis laus, voxque ludentium; » (JER. XXX, 19) quia ludus, debitis vestitus circumstantiis, virtus est laudabilis, que a sacris Doctoribus *Eutrapelia* appellatur, de quo S. Thomas sequentem statuit conclusionem inquit: Circa ludos et jocos, qui nonnunquam ad animi solamen necessarii sunt, si secundum rationem fiant, aliquam virtutem esse oportet, quam *Eutrapeliam* vocant. S. THOM. l. cit.*

Nosse debet, quid Doctores de vitioso ludo sentiant. S. Cyprianus aleam vocat mali alveum. S. Bernardinus, multarum stultitiarum ludibrium singulare, fomitem iniquitatis et cupiditatis, Presbyterum Diaboli comitatus, cunctorum vitiorum seminarium. Petrarcha vitiorum omnium regnum,

famæ nubem, et scelerum stimulum. *Aquid Mansi, d. I et III.*

MISCELLANEA ET CONCEPTUS PRÆDICABLES.

Observandum est, quod S. Paulus de ludo, qui Ismaelem inter et Isaac agebatur, cujus in Genesi, c. XXI, fit mentio, loquens, eundem persecutionis nomine appellavit, inquit: « Sed quomodo tunc is, qui secundum carnem natus fuerat, persequebatur eum, qui secundum spiritum, » ita et nunc; sed quid dicit Scriptura? Ejice ancillam, et filium ejus. Ubi primo advertendum est, ludi hujus ancillam servæ cujusdam Ægyptiæ fuisse filium, ut inde servitulem colligeremus, quam vitium hoc suis insinuat sequacibus, servos suos illos efficiendo, suæque tyrannidi subjectos propria libertate privando. Lusum intellexit Sara persecutionem, inquit S. Augustinus, ex merito S. Aug. Origenes quoque interrogat, inquit. Quid huserat aut quid nocerat, si ludebat? Apostolum miror, qui ludum hunc persecutionem pronuntiavit, dicens: « Sed sicut tunc is, qui secundum, etc. » cum nulla utique persecutio Ismaelis adversus Isaac mola referatur, nisi hic solus ludus. Verum tamen ludo proprium magis epithetum dari non poterat, quam quod persecutio appellaretur, quia major persecutio dari nequit, quam que per hoc vitium homini intentatur, utpote, quod tempus nobis eripit adeo pretiosum; facultates auferit, quas tantopere custodimus; famam et existimationem, que adeo quæritur, deprædatur; virtute quoque spoliât, imo nonnunquam et anima, tametsi pretiosissimus sit thesaurus, quem possidemus; et tamen adeo insani sumus, ut hanc persecutionem data opera quaeramus, investigemus, promplaque pecunia, nec non innumeris periculis et anxietatibus comparemus. Is qui semetipsum lacerat, et indigne habet, tanquam stultus et cerebro vacuus, ligatur, et ab omni conversatione humana sequestratur; at vero talis est omnis lusor, utpote qui inimicus et persecutor est sui ipsius, prout SS. Patres diversi optime probant.

Petrarcha quemdam, qui se in ludo vicisse gloriabatur, his verbis introducit: Lusi et vie! Cui tam ipse respondet inquit: Bene,

nisi in campum redis, alioquin nullus campus planior, nullo in campo volubilior est fortuna. Ludes iterum, et perdes; quod vicisti autem, hinc atque illinc mille diripient, et quod perdidideris, nemo restituet. Hi, qui vineunt, inquit vir quidam sapiens, adeo sunt rari, ut corvus albus; hi vero, qui ex ludo depauperantur, adeo sunt innumeri, ut muscæ Apuliæ. PETRARCH. *dial. XXVII.*

LUXURIA.

QUOD ESSENTIAM.

DEFINITIO. — Est inordinatus appetitus venererorum, ut S. Thomas definit; vel, ut alii, impure et libidinose voluptatis appetitus inordinatus. Desumptum est hoc nomen a luxu, qui est immoderata appetitio ejusdemque rei gratæ, rationi non obtemperans. Unde S. Thomas ait, luxuriam principaliter esse circa veneras voluptates, secundario autem excessum in aliis dicere. S. THOM. II, II, q. CCLV, n. 1.

Diviso. — Dividitur in septem species, quarum 1. est *Fornicatio*, seu concubitus soluti cum soluta (quæ sit a voto, matrimonio, religione libera) ex mutuo consensu. 2. *Stuprum*, seu virginis defloratio, ipsa inviata facta. 3. *Raptus*, seu mulieris vi abductæ violenta violatio. 4. *Adulterium*, seu conjugis cum persona soluta vel conjugata concubitus. 5. *Incestus*, seu congressus cum consanguinea vel affine usque ad quartum gradum. 6. *Sacrilegium*, seu rei sacræ (sive locus sit, sive persona) violatio per actum venerem. 7. *Vitium contra naturam*, seu congressus, a quo est impossibilis generatio; et subdividitur in quatuor alias species, nempe *Mollitiam*, qua absque congressu voluntarie procuratur seminis fluxus; *Sodomiam*, seu congressus duarum ejusdem sexus personarum; *Bestialitatem*, seu concubulum cum alio subjecto, quam homine; et *Congressum in naturalem*, cum scilicet debitis quidem sexus servatur, sed modus inordinatus sine legitima causa adhibetur.

Actus. — Primus est, *Cogitationes pravæ*, licet absque delectatione morosa. fovere; de quibus S. Jacobus locutus est, dum dixit: Nemo, cum tentatur, dicat, quoniam a Deo